

aut intelligere volunt, Spiritum sanctum consulant, & ab ejus persuasione pendeant. At prius verum. Ergo.

Respondemus, Si eodem Spiritu significetur eadem extraordinaria Spiritus sancti inspiratio, quā in scribendō impulsi fuere sancti Dei homines, Prophetæ atque Apostoli: negatur *Antecedens*: his enim solis illa propria fuit, atque concessa, nec hodiē amplius in Ecclesia locum obtinet. Sin vero denotetur ejusdem Spiritus adminiculō; at diversimodè operantis, posset concedi, nostræque sententiæ probandæ accommodari, dicendō Philosophiam esse id adminiculum, quō Spiritus S. nunc temporis Scripturas interpretatur. Sin autem velint eundem Spiritum sanctum, & quidem diversò modò S. Literas exponere, ast non per Philosophiam, sed supernaturalem aliquam revelationem; illa quid sit definire, & quod sit probare ipsis incumbet, ut jam multoties inculcavimus.

C A P. XVI.

1. *Socinianorum Sententia explicatur.* 2. *Ut & Arminianorum.* 3. *Tam hos & illos, quam Reformatos in Scripturæ claritate & obscuritate inter se consentire; at à nobis dissentire.* 4. *Quod Intellectus dispositionem attinet, quid statuant Reformati, & in quibus à Socinianis, Arminianis & à nobis discrepant?* 5. *Quid de eadem re sentiant Sociniani & Remonstrantes, & in quibus tum inter se, tum à Reformatis dissentiant?* 6. *Quod interpretandi normam spectat, quid statuant Sociniani?* 7. *Rationem non esse normam interpretandi statuere Reformatos, eamque Sententiam videri falsò ab illis affingi Socinianis ac Remonstrantibus?* 8. *Propria sententia de Normâ proponitur, & ejus differentia à Socinianorum, Arminianorum, ac Reformatorum ostenditur.* 9. *Argumentum contra eandem diluitur.*

Hactenus arma in hostes movimus, atque in illorum terras copias nostras produximus, arces oppugnavimus, ac destruximus. Nunc, partâ victoriâ, nostrarum partium Fautores, & cum nobis quidem, quamvis non in totum, facientes, attamen à nostrâ sententiâ (quantum ex illorum scriptis colligere possumus) non longè abeuntes invisere libet; & cum iis, coronidis locô, conferre, quoisque inter